



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola Thomae Archiepiscopi Cantvariensis Ad Alexandrvm Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA
THOMÆ ARCHIEPISCOPI
CANTVARIENSIS
AD ALEXANDRVM PAPAM.

Respondet superiori.

LITERÆ consolationis, quas vestra nobis dignata est paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium, aut si saltem nostra circa vnum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respirandi possemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia inualescit, multiplicantur iniuriæ non nostræ, sed Christi, imo quia Christi, eo magis nostræ, succedentibus sibi inuicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium; nec aliud consilium superesse, nisi ut Christum quasi dormientem in naui pro viribus nostris excitantes, dicamus: *Domine, salua nos, perimus.* Et hoc sane aptiorem malignandi naœta est iniquitas occasionem, quod statum sanctæ Romanæ ecclesiæ infirmiorem conspicit. Ut vere liqueat quod quidquid in caput siue bonum, siue malum, siue dulce, siue amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intactam: eripitur Iesu Christo quod sanguine suo comparauit, in ipsam eius fortè potestas secularis manus extendit, adeo ut nec sanctorum patrum sanctiones, nec statuta Canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac iurisdictione speciali priuilegio fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel persequi scripto quæ patimur longum esset & tædiosum, ad vestram mittimus paternitatem magistrum Henricum fidelem & familiarem vestrum & nostrum, in cuius ore posuimus singula seriatim, prout vidit, & audiuit, vobis exponenda. Et si placet, credite, tamquam si nos loquentes audiretis viua voce. Hoc tamen sciatis, quoniam si fieri posset, multo libentius vos in persona visitaremus nostra quam in alia. Loquimur vobis sicut patri & domino, & quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cum omnia fere referantur ad regem quæ nobis

Math. 8.

in conclavi vel in aure dicuntur. Væ nobis qui in hæc seruati sumus tempora, quorum diebus accesserunt hæc mala, qui in priori statu tanta potiti sumus libertate, quam modo dura & pessima seruitute recompensamus. Fugissimus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus: sed quo, nisi ad eum qui nostrum refugium & virtus est, ignoramus. De Vvallenibus & Oeno, qui se principem nominat, domine prouideatis, quia dominus rex super hoc maxime motus est, & indignatur. Carrissime pater & domine, bene valete.

EPISTOLA VI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM CANTVARIENSEM
ET RELIQVOS ANGLIÆ EPISCOPOS.

*Eos monet ne quid regi indulgeant contra libertatem
ecclesiasticam.*

Ad hoc pontificalis officii onus suscepisse noscimini, ut commissas vobis ecclesias sic ad honorem Dei, & subditorum profectum atque salutem regatis, quod ea- rumdem ecclesiarum libertas per vos nullatenus minuantur, sed in suo statu per studium vestrum & per operam conseruetur. Inde siquidem est, quod fraternitati vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus, si illustris Anglorum rex quidquam a vobis aliquo tempore requisiuerit, quod contra ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenus attentetis. Nec vos illi in aliquo, & maxime contra Romanam ecclesiam, obligetis; aut nouæ promissionis seu iuramenti formam inducere præsumatis, præter id quod episcopi suis regibus facere consueuerunt. Si autem iam dicto regi super huiusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promisistis nullatenus obseruetis, sed hoc potius reuocare curetis; & de promissione illicita Deo studeatis & ecclesiæ reconciliari.